



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. cxvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Vnde oportet, vt canonica regula seruata, nullus absque cōsensu episcopi cuilibet presbytero Ecclesiam det. Quam si iustè adeptus fuerit, hanc non nisi culpa graui, & coram episcopo canonica seueritate amittat.

Vt nullus aliquod munus propter Ecclesiam à presbytero requirat. Cap. CXIII.

VT nullus omnino munera exigat à presbyteris, propter commendationem Ecclesie. *Ex cōcil. Mogūt. cap. 30.*

De eadem re. Cap. CXIII.

Sancitum est atque omnimodis prohibitum, vt si quis presbyter inuentus fuerit alicui clerico aut laico munera dare aut dedisse, aut aliquam pecuniam tribuere, vt aliterius presbyteri Ecclesiam surripiat, aut Ecclesiam vacantem precio redimat, pro hac cupiditate seu rapina, seu presumptione turpis lucri gratia deiiciatur à clero, & alienus existat à regula. *Ex cōcil. Rotoma. cap. 5.*

Vt presbyteri plebes admoneant, vt lintamina altaris præparent. Cap. CXV.

VT presbyteri per plebes suas sceminis prædicent, vt lintamina in altaria præparent. *Ex cōcil. Remensi, cap. 4.*

Vt episcopi præuideant quid presbyteri dominis suis pro Ecclesiis facere debeant. Cap. CXVI.

VT episcopi præuideant, quem honorem presbyteri pro Ecclesiis suis facere debeant. *Ex cōcil. Aralascē si, ca. 3.*

De eadem re. Cap. CXVII.

VT nullus presbyter ad introitum Ecclesie xenia donet. *Ex cōcil. Aureli. cap. 10.*

De presbyteris nihil habentibus quando ordinantur. Cap. CXVIII.

Inuestigandum si nihil patrimonij habens presbyter quando prouectus est ad ordinem ecclesiasticum, postea emerit prædia, cuius iuris sint, quoniam Ecclesie ad quæ de nihil habente promotus est esse debent, iuxta canonicam autoritatem. *Ex cōcil. Remensi, cap. 6.*

De eadem re. Cap. CXIX.

Presbyter cum diocesim tenet, de his quæ emerit, ad Ecclesie nomen scripturam faciat, aut ab eius quam tenet Ecclesie ordinatione discedat. *Ex cōcil. Arausico cap. 54.*